

AD  
*RECENSIONEM*  
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,  
A NOBIL. A CELSE EDITAM,  
ACCESSIO.

CUJUS PARTEM V,

*Venia Fac. Philos. R. Acad. Aboënsis,*

PRÆSIDE

*Mag. HENRICO GABRIELE*  
*PORTHAN,*

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human. & Antiquitt.  
nec non R. Soc. Scient. Upsal. Membro,*

*Publicæ bonorum censuræ submittit*

*GABRIEL WINTER,*

*V. D. M. Wiburgensis.*

*In Auditorio Majori die XXII Decemb. MDCCXCVII,*

*H. A. M. S.*

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

## THESES RESPONDENTIS.

### THESIS I.

Quantum momenti sit, ut tota mente, omnique animi impetu in veram Dei cognitionem iucumbamus, innumera fere illa, quæ a superstitione profluunt mala, fatis nos edocent.

### Thes. II.

Plurimam cognitionis nostræ partem alienæ nos debere experientiæ, contendere nulli dubitamus.

### Thes. III.

Cum ea sit natura & indoles animi humani, ut ipsas virtutes, ex utilitate quam offerunt mortales æstimant; facile patet, cur in primis fortitudo & robur corporis, in rudi & inculto humani generis statu, magni facta fuerint.

### Thes. IV.

Qui suæ tantum utilitatis causa amicitiam cum aliquo inire volunt, ii minime veri salutandi sunt amici.

### Thes. V.

Egregiam naturæ humanæ cognitionem redolet illud Horatianum: *Stultum vitant vitia, in contraria currunt.*

### Thes. VI.

Litterarum in orbe nostro conversiones sat luculenter demonstrant, verisimum esse, quod dixit Vellejus Paterculus: *nullam esse in perfectiorum.*

### Thes. VII.

Qui teneros & rudes erudiri ac flexuri sunt, non modo ingenii facilitatem, verum etiam patientiam & constantiam teneant oportet & adhibeant.

### Thes. VIII.

Librorum multitudinem per artem Typographicam enatam, officere literis plus quam prodesse, qui autumant, ne illi vehementer falli nobis videntur.

### Thes. IX.

Et si homines affectibus abrepti haud raro ad prava patranda facinora commoventur, inde tamen non sequitur, affectus in se malos esse censendos.

Quare jubet Papa dictam mulierem ab Archiepiscopo per censuram ecclesiasticam compelli, ut testamentum sine difficultate executioni mandari permittat. — Indid. a. XI Ep. 189.

32. *Archiepiscopo Lundensi* (Eidem). *Laterani XIV Kalend. April. a. XI.* (d. 19 Mart. 1237). Petierat Rex Daciæ (Waldemarum) ut cum Petro, Andrea & Jacobo, Clericis suis, quos idem Rex meritorum suorum intuitu libenter gratia prosequitur, & quorum quilibet unum beneficium obtinet, curam habens animarum annexam, Pontifex dispensaret, ut singuli unum adhuc beneficium cum simili cura, si eis canonicè offeratur, obtinere valeant. Quare mandat Archiepiscopo, ut cum eisdem Clericis, si ad id ipsorum merita sibi suffragari cognoverit, nomine Pontificis dispenseret. — Indid. Ep. 461.

33. *Eidem, & Episcopo Roskildensi.* *Laterani IV Kalend. Febr. a. XI.* (d. 29 Jan. 1238). Petierat (*Waldemarum*) Rex Danorum, ut cum inter Reges Danorum ex una parte, & Sclavos ab altera, gravis discordia sit & fuerit, liceat sibi pro reformanda inter ipsos concordia, quandam neptem suam, B. (*Barnimo I?*) Duci Pomeraniæ, cui eadem in quarto gradu attinere dicitur, tribuere in matrimonium. Quare jubet Papa, ut Archiepiscopus & Episcopus, inquisita super præmissis diligenter veritate, quod invenerint ei fideliter rescribant, ut eorum relatione sufficienter instructus, quod super hoc expedire viderit, disponat. — Indid. Ep. 380.

34. *Nobili viro (Barnimo?) Duci Pomeraniæ.* *Anagninæ II nonas Sept. a. XII* (d. 4. Sept. 1238). Suasu Archiepiscopi Lundensis & Episcopi Roskildensis, annuit Papa petitioni Regis Daciæ & Ducis Pomeraniæ, atque permittit ut hic neptem illius in matrimonium ducat (v). — Indid. a. XII Ep. 249.

E

35. Ar-

(v) Cfr. Bullam proxime præcedentem, N:o 33.

35. *Archiepiscopo Lundenfi* (Eidem) & *Episcopo Burgulianensi* (x) (Johanni) & *Archidiacono Lundenfi*. *Anagnie VIII Kalend. Sept. a. XIII* (d. 25 Aug. 1239). Significaverat Papæ Episcopus Roschildensis, *Principem, Majorem & populum Rugianorum* (qui ad suam diœcesim pertinebant) quandam pravam consuetudinem observantes, usurarum lucra quæ *Poddas* vulgariter appellant, sequi: nempe creditorem a debitore certam quantitatem annonæ, lini & aliarum rerum, quæ longe plus quam in duplo pecuniam mutuam excedunt, recipere annuatim; præterea a debitore pro licentia filiam suam collocandi 5 solidos postulare; nec non pro quolibet animali quod hic vendit, certam pecuniæ summam. Ac si debitor, ante mutuatae fortis solutionem moritur, eadem conditio ad hæredes transit; quorum si aliquis solvendo non fuerit, supponitur ei in judiciali foro fasciculus straminis, a quo præsentibus habitatoribus terræ suæ dejicitur, & in perpetuam creditoris servitutem redigitur. Quare Papa, primum literis suis eos a turpi hoc more dehortatus, mandat Archiepiscopo & Episcopo ut si dicti Princeps, Major & populus admonitionem suam neglexerint, eos ad parendum per censuram ecclesiasticam compellant. — Indid. a. XIII Ep. 106

36. *Arusiensi* (Petro III) & *Wibergensi* (Gunnero) *Episcopis* (y). *Laterani IX Kalend. Decemb. a. XIV* (d. 23 Nov. 1240). Significaverat Rex Daciæ (*Waldemarus*), licet ipse & progenitores sui in coronatione sua jurassent, se jura regni & honorem coronæ illibata servaturos, eosdem tamen, propter quorundam importunitatem quasdam abalienationes fecisse, in honore regii & regni sui grave præjudicium & jacturam; quare petierat super hoc sibi a Papa provideri. Annuit hic; mandans Episcopis, ut auctoritate Apostolica hanc Regi facultatem tribuant: ita

(x) *Burgulanensis* (Börglum) in *Futlandia*. Vid. PONTOPPIDAN. I. c. p. 599.

(y) De Episcopo *Arbusiensi* vid. PONTOPPIDAN. I. c. p. 587, & de *Wiburgensi* ib. p. 594 194.

ita tamen, ut aliorum justitia non lædatur, & quæ ad ecclesias & alia pia loca, donationis seu alio justo titulo devenerunt, obligationibus seu promissionibus super hoc factis nequaquam obstantibus, excipiantur. — Indid. a. XIV. Ep. 178.

INNOCENTIUS IV.

1. *Archiepiscopo Lundensi (Uffoni) & Suffraganeis suis. Lugduni X Kalend. Martii a. II (d. 20 Febr. a. 1245).* Cum qui de Estoniæ partibus ad fidem Christianam sunt conversi, a barbaris & paganis circumstantibus multipliciter molestentur, & propterea Rex Daciæ contra hos viriliter se accingat; Archiepiscopo & Suffraganeis suis Papa mandat & in remissionem peccatorum injungit, ut subjectos sibi populos attentent efficaciter inducere, ut contra hujusmodi gentes ydolatras arma capiant: promittens omnibus qui ad partes illas accedentes per annum in hujusmodi Jesu Christi servitio morati fuerint, eandem indulgentiam quæ transeuntibus in Terræ Sanctæ subsidium est concessa. — "Ex Registro Innocentii P. P. IV., a. II Ep. 344."

2. *Archiepiscopo Upsalensi (Jarlerio) & Priori Provinciali Ordinis Fratrum Predicatorum in Dacia. Lugd. IX Kal Mart. a. II (d. 21 Febr. a. 1245).* Hæc Epistola longior non est, quam ut eam totam transcribere facile liceat. "Thomas Episcopus Finlandiæ (a) nobis humiliter supplicavit, ut cum idem quendam fecerit mutilari, qui hujusmodi occasione mortem incurrit, ac

E 2

"quos-

(a) Verisimile valde videtur, nostram hoc loco *Finlandiam* intelligi (cujus nomen varie solet in scriptis vetustis corrumpi). Præfuit hoc tempore Ecclesiæ *Fennicæ* Episcopus *Thomas*, Anglus; quem etiam, Sede sua relicta, in *Gotblandiam* migrasse, atque ibi (apud monachos Dominicanos) diem a. 1248 obiisse, constat. De aliquo agi Episcopo Suffraganeo Archiepiscopi Upsalensis, inde concludas, quod huic negotium datur cessionem ejus recipiendi; cumque *Thomam* antea Monachum fuisse Dominicanum sciamus, intelligi inde potest, cur Archi-

"quosdam litteras Apostolicas presumpserit diabolico instinctu  
 "falsare, propter quod non potest licite pastorale officium exer-  
 "cere, cessionem ejusdem recipere curaremus. Nos igitur ip-  
 "sius saluti providere volentes, mandamus, quatenus cessionem  
 "eampem vice nostra recipere procuretis, Datum, Lugduni VIII  
 "Kalendas Martii Anno Secundo." — Indid. Ep. 343.

3. Archiepiscopo Lundensi (Eidem), *Rasbaldensi* (b) & *Arufiensi* (c) *Episcopis. Lugd. VI Kal. Mart. a. II* (d. 24 Febr. 1245). Monentur, ut cum Rex Daciæ (*Ericus*) contra paganos & barbaros expeditionem molitur (d), ipsum non permittant interim ab aliquibus indebite molestari. — Indid. Ep. 347.

4. *Ar-*

episcopo adjungeretur *Prior Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Dania* (Monachos hujus ordinis *Sveciæ* nondum talem *Provinciales* habuisse, sed Danico illi hactenus subfuisse, credas?). Causam quidem nostra monumenta aliam, cur *Thomas* Sedem suam relinqueret, nesciunt, nisi *Ruthenorum & Curonum furorem*, novellam Ecclesiam Fennicam infestantium; peccatis illis gravibus quorum in Bulla Pontificis mentio fit, silentio præteritis. Sed fortassis neque hæc propalata fuerant, adeoque vera dimissionis suæ causa nostris ignota manserat? Cæterum Papam admodum leniter & mutilationem atrocem (cujus causa reticetur) & gravius illud adhuc peccatum, *diabolo instigante a Thoma* commissum, nempe literarum quarundam Papalium adulterationem, puniisse, videmus. Quænam vero illæ fuerint literæ Apostolicæ, quas turpi ausu falsaverat, nunc quidem expiscari haud licet; unde molesta suspicio Bullas premit plures, suas res spectantes. Nisi existimandum sit, eundem postea, ubi facti sui poenitentia motus fuit, adulteratas illas literas ipsum abolevisse? — *Sanctis Sveciæ* hunc adfociare Episcopum VASTOVIVS non dubitavit (*Vit. Aquilonia* Ed. Colon. p. 71, Ed. Benz. p. 74 sq). Cf. de eo, si placet, editæ a nobis *Ad PAULI JUUSTEN Chronicon Episcoporum, Finlandens. Annotaciones* (Aboæ 1785 fqq. 4:o) p. 173 — 188.

(b) *An Roschildensi?*

(c) *Ebboni.*

(d) Conferantur de (destinata) hac expeditione PONTOPPIDAN l. c. p. 544 & HOLBERG *Dannemarks Rigis Hist.* T. I p. 303 sq.

4. *Archiepiscopo Lundensi* (Eidem). *Lugd. nonis Aug. a. III* (d. 5 Aug. 1245). Cum illum peritos Clericos jugiter oporteat habere, qui illo interdum aliis negotiis occupato, commissæ sibi sollicitudinis onera sortiantur, ac beneficia illarum partium adeo modici sint valoris, ut vix aliquis juxta statum personæ suæ possit de unico congrue sustentari; permittitur Archiepiscopo petenti, ut cum Clericis suæ Diocesis qui vitæ meritis & dono scientiæ gratiæ se coaptent, dispensare nomine Pontificis queat, ut præter illud beneficium, curam habens animarum, quo antea fruuntur, duo alia ejusdem generis, si eis canonice offerrantur, singuli recipere valeant. — Indid. A. III Ep. 53.

6. *Eidem. I. a. 8 d. iisdem.* Permittitur ei, ut cum XL Clericis Civitatis & Diocesis suæ, qui non sint geniti de adulterio, regularibus vel incestu, possit dispensare, ut ad majores ordines promoveri & ecclesiasticum beneficium, etiam si curam habeat animarum, eorum quilibet valeat. — Indid. Ep. 54.

6. *Eidem. Lugd. XVI Kalend. Septembris, a. III* (d. 17 Aug. a. 1245). Petierat Episcopus Wiburgensis (*Gunnerus*) senio & corporis debilitate gravatus, ut officio cedere sibi liceret. Quamobrem mandatur Archiepiscopo, ut consideratis diligenter circumstantiis & ecclesiæ illius utilitate, cessionem senis, nomine Papæ, recipiat; & de bonis episcopalibus decedenti, pro sustentatione sua provisionem honestam & congruam assignet (e). — Indid. Ed. 55.

7. *Suffraganeis Archiepiscopi Pruscie, ac Ecclesiarum Prelatis ac Clericis universis per Prusciam, Livoniam, Estoniam, Semigalliam & Curoniam constitutis. Lugd. IV Id. Januarii a. III* (d. 10 Jan. E 3

(e) Narrat PONTOPPIDAN l. c. p. 595 sqq. Archiepiscopum dimissionem ejus necessariam non judicasse, adeoque Episcopum coactum fuisse, usque ad mortem suam, quam centesimo demum ætatis anno obiit, Diocesi Wiburgensi præesse,

Jan. 1246). Significat illis Papa, se --- quondam Armachanum Archiepiscopum, Prusciæ ecclesiæ, non modico tempore pastore vacanti, in Archiepiscopum præfecisse, ac ei omnes Prusciæ, Livoniæ & Estoniæ Episcopos subjecisse (f). — Indid. 377.

8. *Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis, Prepositis & aliis Ecclesiarum Prelatis, tam exemptis quam non exemptis, & universis Clero & Nobilibus viris Comitibus, Baronibus & Principibus per Norvegiam & Suetiam constitutis.* Lugd. III Non. Novemb. a. IV (d. 3 Nov. 1246). Significat Papa se Episcopum Sabinensem (*Wilhelmum*), auctoritate Legati Apostolici ornatum, in illa regna misurum; quem ut debito honore & obsequio recipiant, iis inculcat. — Indid. a IV Ep. 946, p. 419 t.

9. *Episcopo Sabinensi (Wilhelmo) Apostolicæ Sedis Legato.* L. a. & d. iisdem. Ipsum diploma, quo illa ei Legatio mandatur, atque potestas datur, ascitis Prelatis provinciarum illarum & convocatis, Regi Norvegiæ (*Haquino*) vice Pontificis coronæ largiendi honorem. — Indid. Ep. 947.

10. *Archiepiscopo Lundensi (Uffoni) Lugd. IV Kalend. Sept. a. V (d. 29 Aug. 1247).* Magister *Jacobus (g)*, Lundensis Ecclesiæ Præpositus, Cappellanus Papæ, huic præfens exposuerat, quod fructus beneficiorum & aliorum bonorum patrimonialium

(f) Neque quis hic fuerit, nec ubi sedem habiturus, scimus. HARTKNOCH, *Preussische Kirchen Historia*, talem Archiepiscopum ignorat; Ecclesias Prusicas Archiepiscopo *Gnesnensi*, vel *Rigensi*, vel nulliusse docens subjectos. Cf. L. I C, III, p. 148 sqq. Nec permittere temporum ratio videtur, ut *Albertus* ille hic intelligatur *Suerbeer*, quem Archiepiscopus Bremensis Episcopum dare Rigenibus conatus est, quemque Episcopum factum *Armaganum*, deinde vero 1246 Legatum Apostolicum per Prusiam, Livoniam & Rusliam designatum, ac tandem a. 1447 Episcopum vel administratorem Diocesis Lubecensis constitutum esse, dicit GADEBUSCH l. c. p. 213, not. s).

(g) *Jacobus Erlandi*, postea Archiepiscopus Lundensis.



alium suorum quæ in regno Daciæ obtinet, non possit libere percipere, propter inimicitias quas habet ibidem, licet ras non incurrerit culpa sua. Quare mandat Papa Archiepiscopo, ut prædictos fructus diligenter colligat, ac eidem Capellano vel suo procuratori, in tuto loco ejus nomine assignare curet. In quo negotio si ab adversariis ejus impediatur, faciat eidem, auctoritate Pontificis, singulis annis ab ecclesiis regni prædicti de redditibus ecclesiasticis tantundem valentibus, quantum prædictorum beneficiorum proventus valent, providere, donec proventus ipsos percipere valeat. — Indid. A. V Ep. 215.

11. *Archiepiscopo Lundenſi* (Uffoni). *Lugd. IIII Non. Novemb. a. V.* (d. 2 Nov. 1247). Eadem de re ei mandatum datur. — Indid. Ep. 377.

12. *Illuſtri Regi Dacie* (Erico V) *Lugd. VI Kal. Decemb. a. V.* (d. 26 Nov. 1247). Permittitur Regi, contra paganos ac barbaros, qui neophytos in partibus Estoniæ multipliciter moleſtabant, expeditionem suscepturo, ut *tertiam decimarum partem fabricis ecclesiarum Lundenſis Provinciæ deputatam*, pro subsidio expensarum suarum in hujusmodi servitio Jesu Christi usque ad sex annorum spatium obtineret; ita tamen, ut de ipsa decimarum tertia parte pro dictis fabricis, sartatectis & luminaribus congrua ecclesiis portio relinqueretur, nec non pro solvendis debitis quibus eadem ecclesiæ pro earum necessitatibus sunt medio tempore obligatæ. Residuam partem per ecclesiasticas personas, Deum timentes & providas colligi, Archiepiscopus Lundenſis facere debebat, Regique tradi; dummodo hic expeditionem dictam suscipere. — Indid. Ep. 376.

13. *Archiepiscopo Upsalenſi* (Jarlerio) & *Suffraganeis ejus. Perusi XII Kal. Nov. a. X* (d. 21 Oct. 1252). Mandatur  
iis,

iis, ut Regi *Waldemaro* & Duci *Birgero* contra perturbatores ipsius regni viriliter assistant (h). — Indid. a. X Ep. 186.

14. *W.* (Waldemaro) *Illustri Regi, & Nobili viro B.* (Birgero) *Duci Suetie*, ac *I.* (Ingeburgi) *uxori ejusdem Ducis. Perusii X Kal. Nov. a. X* (d. 23 Oct. a. 1252). Largitur eis omnium peccatorum absolutionem & veniam, de quibus jam essent, vel infra tres menses a receptione præsentium futuri, essent vere confessi. — Indid. Ep. 197.

15 *Episcopo Wibergensi* (Gunnero). *Perusii XIII Kalend. Jan. a. X.* (d. 20 Dec. a. 1252) Audierat Papa, *Ecclesia Bulgavensi* (Burglanensi) *Pastoris* regimine destituta, *Elanum* (i) *Præpositum de Lolusyses* (k) *Arusiensis Diocesis* per potentiam *Abelis*, qui pro Rege *Daciæ* se gerebat, in *Episcopatum* illius ecclesiæ, invitis & reclamantibus quam plurimis ejusdem *Ecclesiæ* *Canonicis* se intrudi nequiter procurasse, & confirmatione non obtenta, in *Episcopatus* officio temere ministrare fuisse ausum. Quocirca *Wiburgensi* mandat *Episcopo*, ut si ita esse reperiat, eundem intrusum, nomine *Pontificis* ab eadem ecclesia removeat, & faciat alium canonice eligi; non obstante appellatione, quam intrusus a *Lundensi Archiepiscopo*, qui ipsum noluit, prout non debuit, confirmare, ad *Papam* interposuisse dicitur. — Indid. Ep. 301.

16. *Magistro Henrico Archipresbytero de Novis, Cappellano O.* (l) *S. Adriani Diaconi Cardinalis. Afisi II Non. Julii a. XI* (d. 6 Julii a. 1253). *Capitulum Ecclesiæ Burglanensis*, per viam com-

(b) Respici ad seditionem a *Folkungis* motam, quam Dux *Birgerus* feliciter mox oppressit, clarum est. Cfr. *LAGERBRING*. l. c. p. II C. XIV §. 7.

(i) *Olaum Glob?* De quo cfr. *PONTOPPIDAN* l. c. p. 600 sq.

(k) *Lov-Sysfel*, vel *Löver-Sysfel?* Cfr. *Den Danske Atlas* T. IV. p. 63.

(l) *Othoboni Elisci*. De quo cfr. *ALPHONSI CIACONII Vita & res Gestæ Pontificum Romanor. &c. ab Augustino Oldoino recognitæ* (Romæ 1677 Fol.) T. II p. 129 sq.